



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Annvs Diervm Memorabilivm Societatis Iesv. Sive  
Commentarius quotidianae virtutis, notabilem vnius, vel  
plurium in Societate vitâ functorum, virtute quapiam  
insignium memoriam in menses diesque ...**

**Nádasi, János**

**Antverpiae, 1665**

XXVI. Die Octobris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9625**

XXVI. DIE OCTOBRIS.

P. LEONARDVS  
KESSELIVS.

26 Octobris  
Belga Colo-  
nia, 1574.

**V**ir Zeli magni, prudentiæque etiam in aduersis, quæ animarum causâ sustinuit, vt dixi in eius vita. Colonienſe Collegium regebat; cum illum in horto quidpiam legentem stultus quidam repentè cultro escario interfecit: & mox ibidem P. Nicolaum Fabrum, & P. Ioannem Rhetium confecit. Hic est ille P. Leonardus Kesselius in S. P. Ignatij vita celebratus, cui Romam ad S. P. Ignatium videndum, & alloquendum venire petenti, se, superstes tunc adhuc spectandum dedit S. P. Ignatius. Reliqua vide in vita ad annum 1574.

Mort.

P. FRANCISCVS  
STRADA.

Hispanus  
Toleti, 26.  
Oct. 1584.

Congiator.

Canciones.

**A**doleſcens à S. P. Ignatio susceptus, anno 1538. mirabilis planè efficacitatis Ecclesiastes. fuit. Plena est illo Societatis historia. Ipsæ vrbes illius concionibus, & plurium exercitiis illo dante obitis, alias se ex aliis videre. Brixie facillè centum adoleſcentes ad Dei seruitutem pellexit. Nouit illum Italia, Belgium, Gallia, Lusitania, Hispania. Obſeſſæ sunt aliquando viæ dum è loco alio in alium commigraret. Salmanticæ grauem tempeſtatem ſedauit, & supra centum capita. permouit ad Christi vestigia in religioſis familiis conſectanda. Modicum dormiebat: & expertus est sibi dormienti à Deo infusam tantam homiliarum S. Ioannis Chryſoſtomi pe-

ritiam, vt illo licet antea nunquam lecto ita concionaretur, atque si illim diligentissimè peruolurasset. Ioannes Corraera totam illius concionem ſemel ab illo auditam, ad verbum repetiit, & sic Societatem obtinuit, in illa postea Custodis Angeli familiaritate insignis. Destinatis temporibus, ter se quotidie flagello inclementer accipiebat; primò pro illis animabus quæ in Purgatorio pœnas luunt; deinde pro ijs qui in mortali peccato hærent; denique pro Ecclesia vniuersa. Inde illi puram ſemper Virginitatis gloriam conſtituisse firma opinio est. Quidam à Deipara vt creditur, ad illum sunt miſſi, & iuſſi agere id quod ille ſuaderet. Roganti P. Ribadencira, vnde illi eſſet ea vis in dicendo, ingenuè reſpondit; ſibi interdendum radium quendam & impuſum illabi cælitus, quo totus præcordiis intimis commoueretur.

Mortif.

B. 72.

P. ANTONIVS  
DE SOVSA.

**A**nno 1609. in Indiam profectus, Malacæ pro Iaponia procuratorem egit; exilium quoque perpeſſus. Aquæ in os infuſæ, poſtea ſoſſæ ſuſpendiique tormento cruciatus, pendit capite deorſum prono in odiũ fidei appenſus 18. Octobris: & ab illo die legitimè certauit fortis in fide; atque hoc demum die agonis felicis gloriam conſummauit.

Lufitanus  
Nangafachi. 26. Oct.  
1633. etat.  
45. Soc. 30.

Fides.